

7. In aliis vero locis expresse docuit Scotus, illum modum prædeterminationis per voluntatem Dei absolutam, vel per influxum prævium ab illa procedentem, non esse necessarium ut voluntas in actibus suis se determinet, quod in actibus peccatorum expresse declaravit in 2, distinct. 37, § *Ad solutionem*, ubi his verbis rem comprehendit: *Quia Deus non solus, sed cum voluntate actum est factururus, ideo eum concausare posuit in potestate ipsius voluntatis humanæ*; quibus verbis nostram sententiam de solo concursu simultaneo oblato per voluntatem Dei omnino absolutam, sed includentem conditionem, apertissime docuit. Nec apud ipsum ego inveni locum in quo de concursu ad actus bonos, vel ad actus gratiæ aliter loquatur, solumque in actu beatifico, tanquam singulari, alium modum in priori loco insinuavit.

8. *Difficultas in doctrina Scoti.*—Duæ vero aliæ difficultates hic objici solent in doctrina Scoti. Prima est, quod ipse docet, quia si prima causa necessario ageret, voluntas hominis non libere ageret, ut patet in distinct. 2, q. 2, § *Obsecro*, et distinct. 8, quæst. 5, § *His rationibus*, versic. *Argumentor sic*, et distinct. 39, § *Tertia propositio*. Illud autem videtur in hoc fundari, quod causa secunda non agit, nisi mota a prima, nam inde infert quod si Deus necessario causam secundam moveret, et consequenter causa secunda necessario ageret. Sed hæc difficultas procedit per multas illusiones, et potest in contrarium retorqueri; nam, si libertas causæ primæ nunc est radix contingentiæ, ideo est quia nunc non imprimat causæ secundæ motionem quam imprimeret si necessario ageret; nam si eandem motionem nunc imprimeret, æque necessitaret illam, et libertas Dei solum induceret ut effectus esset contingens respectu Dei, non vero ut sit liber ipsi causæ secundæ, ut recte argumentatur Gabriel in 4, distinct. 38, artic. 1; Corduba in Quæstionar., lib. 1, q. 55, dub. 4 et 10; ergo nunc de facto non imprimat Deus voluntati talem motionem, etiam ex sententia Scoti, nisi velimus illi attribuere contradictoria; præsertim quia, in eadem q. 1, distinct. 8, § *Ad argumenta pro opinione*, dicit voluntatem nostram esse de se indeterminatam, et posse ex se determinari ad hoc vel illud, et hoc non impediri a Deo, quia cum libere agat, suum concursum illi accommodat. Contrarium autem putat esse dicendum, si Deus ageret ex necessitate naturæ, quia tunc non sic posset Deus suam actionem moderari,

sed ageret quantum posset. Ex illo ergo principio, nihil in præsentem colligi potest quod nobis obstet, quidquid sit de veritate illius, de quo videri possunt dicta in Metaphys., disputat. 22.

9. *Altera difficultas.*—Altera difficultas est, quia Scotus docet cognoscere Deum futura contingentia in decreto voluntatis suæ, quo vult illa fieri, ut patet in 1, distinct. 39, § *Viso de contingentia*. Nam illud decretum Dei est suppositio antecedens, et consequenter est de illo eadem difficultas. Et hoc modo potest pro illa sententia citari Richardus in 1, dist. 38, art. 1, quæst. 5, et omnes qui ita sentiunt de scientia Dei circa futura contingentia. Sed hæc objectio etiam fit per illationes, et fieri potuit ut omnes non consideraverit Scotus, et ideo non fuerit consequenter locutus. Posset autem exponi de decreto prædeterminante ad extra, juxta ea quæ jam dixi, et amplius infra explicabo. Verumtamen etiamsi hoc habere possit locum in actibus bonis, non tamen in malis. Et ideo alii intelligunt Scotum de voluntate Dei concurrenti cum causa secunda, inter quos etiam Gabriel. Vazquez, in 4, quæst. 14, artic. 13, sequitur in hoc opinionem Scoti, cum tamen alias omnino neget prædeterminationem et prædefinitionem. Ac propterea dicit voluntatem illam Dei, in qua ipse cognovit futura contingentia, non esse prævenientem, sed concomitantem, respectu cooperationis voluntatis creatæ. Quomodo autem talis voluntas Dei sufficiat ut in ea cognoscatur futurum contingens, non declarat, nec declarari potest, ut existimo, nisi supposita in Deo scientia conditionata, qua cognoscit voluntatem creatam cooperaturam esse in tali occasione, si ipse permittit, et velit concurrere. Postea autem illa scientia res est facillima, et fortasse in illo sensu locutus est Scotus. Optarem autem mentionem aliquam illius scientiæ conditionatæ magis expressam apud illum invenire.

10. *Quarto accedit Marsilius.*—Quarto, nostram sententiam docet expresse Marsilius in 2, quæst. 16, artic. 4, in tertia probatione secundæ conclusionis, dum ait, *de natura agentis liberi esse, quod se possit determinare, nam si ab alio determinaretur, ab alio necessitaretur*, ut latius supra retuli, lib. 3, cap. 35.

11. *Quinto, favet Henricus.*—Quinto, favet Henricus, quodlibet. 9, quæst. 5, circa finem, ubi et generalem tradit doctrinam de determinatione voluntatis a seipsa, quam supra retuli, et illam extendit etiam ad motio-

nem gratiæ, dicens: *Si, Deo agente, fieret directe ut voluntas de non volente fieret volens, licet non esset contra naturam ejus, sed præter eam tantum, non tamen diceretur actus liberalis, nec secundum eum esset laudabilis, nec esset omnino. Quia cum actio ejus (id est hominis) taliter debeat esse in ipso, quod secundum eam voluntas laudabilis dicatur et virtuosa, oportet quod a nullo alio moveatur (id est determinetur) ad actum volendi, sed a seipsa directe solum, licet aliquo assistente, et cooperante, ut supra, Spiritu Sancto, vel per se et immediate, vel in aliquo dono ejus, vel utroque modo.* Et inferius, ad exponendum quomodo motus indeliberati inclinent voluntatem, non tamen necessitent ad consensum, addit: *Quemadmodum gratia aliqua a Deo in voluntate inclinatur ipsam, sicut pondus ut velit, quæ tamen actum voluntatis non elicit, nec illum ad eliciendum compellit, quia non habet elici, nisi ab ipsa voluntate libera, et frequenter, nec eliceret eum sine tali pondere inclinante ipsam, et in eis quæ pertinent ad rationem meriti, nullo modo posset ipsum sine illo elicere.* Quodlib. 4, quæst. 19, congruentiam prædestinationis ponit in quadam non repugnantia respectu gratiæ prævenientis. Nam, licet illa sententia respectu prædestinationis falsa sit, tamen supponit gratiam prævenientem non prædeterminare physice voluntatem, sed relinquere illam libere, ut possit resistere, et ideo merito reprehendi qui resistit, et esse laude dignum qui non resistit. Eandemque doctrinam latissime repetit Quodlibet. 8, quæst. unic., ubi tantum abest ut censeat voluntatem, quoad suam liberam cooperationem, posse physice prædeterminari a gratia, ut dicat fieri a voluntate ex se, et ex naturalibus suis, ita ut *quodammodo non includatur in prædestinatione, neque in ejus effectu, licet non sit sine ejus effectu, nec sit distinctum quid a prædestinationis effectu.* Quæ refero non ut omnia approbem, sed ut de mente illius auctoris quoad tollendam prædeterminationem evidentius constet.

12. *Sexto, allegatur Capreolus.*—Sexto, allegamus Capreolum in 1, distinct. 45, quæst. 1, artic. 2, ad 5, contra secundam partem quintiæ conclusionis. Argumentum enim eo tendebat, ut probaret Deum necessitatem inferre voluntati, hoc modo: Deus potest necessitare voluntatem creatam, necessitate naturaliter præcedente; sed hoc non potest, aliquid aliud faciendo, quam tantum volendo, quoniam nullo alio modo agit ad extra, neque aliter volendo, quam prius naturaliter et sic vult; ergo Deus

necessitat de facto quamlibet voluntatem creatam ad quemlibet actum suum liberum, et ad quamlibet cessationem et vacationem ab actu naturaliter præcedente. Respondet autem in hunc modum: *Licet Deus possit voluntatem creatam quamlibet necessitare, non tamen sic necessitat eam, et comprobatur, quia si necessitaret, hoc non faceret, nisi volendo; dico quod, licet hoc faceret volendo, tamen non vult nunc illud quod vellet tunc; talis enim necessitas proveniret ex impressione alicujus formæ, quæ nunc non imprimitur, id est, gratia consummata, vel ex aliqua motione speciali Dei, quæ nunc non movetur.* Profecto videtur expressum testimonium; supponit enim Capreolus quod, si Deus imprimat voluntati formam vel motionem, ex qua necessario sequatur operatio in voluntate, illa erit necessitas excludens libertatem, licet sit in sensu composito, seu suppositionis divinæ, et inde infert, Deum nunc per gratiam non dare homini hanc motionem, ne illum necessitet. Unde ibidem, 2 et 3 principale contra eandem conclusionem, generaliter supponit necessitatem ex suppositione antecedente repugnare libertati. Et ad quintum, negat omnem effectum ita provenire a causa prima, ut non sit in potestate causæ secundæ illum impedire; ideoque, ut effectus libere fiat, requirit potestatem resistendi, etiam supposita omni prævia dispositione, quæ in ea sit antecedens ad agendum, ut in solutione ad 3 exposuerat. Hæc autem omnia repugnant cum prædeterminatione physica, ut ex dictis constat. Et ideo idem Capreolus, in 1, distinct. 40 et sequentibus, tractans de concordia prædestinationis, præscientiæ et voluntatis divinæ, cum libertate hominis, semper evitat necessitatem prævenientem a suppositione antecedente, quod sine libertate antecedit, et ab illa inevitabiliter proveniat effectus; unde virtute evitat physicam prædeterminationem, licet eo nomine non utatur.

13. *Allegatur eodem modo Soncinus.*—Et eodem modo allegari potest Soncinus, lib. 9 Metaphys., quæst. 17. Nam ex professo probat ad libertatem actus necessariam esse potentiam, prius natura quam operetur, ita esse indifferentem, ut nihil in ea sit necessario determinatum ad velle, alioqui (ait) illum velle non esset contingenter a voluntate, sed necessario. Ferrariensis etiam, licet alias concursum prævium ejusque necessitatem doceat, ut in lib. 3 retuli, nihilominus de auxiliis gratiæ loquens, libr. 3 contr. gent., cap. 159, ipsa rei veritate

ductus, ea docet quæ cum prædeterminante auxilio ejusque necessitate non subsistunt. Dixit enim imprimis, causam ob quam, ex duobus excitatis, unus se præparat ad gratiam, et non alius, in libertatem arbitrii et non in defectum alicujus auxilii necessarii ad talem præparationem esse reducendam; quia in potestate utriusque est habere omne auxilium ad talem præparationem necessarium. Unde addit quod, si alicui sine culpa sua auxilium necessarium negaretur, non posset illi carentia præparationis imputari. At si physica prædeterminatio est necessaria, non est in hominis potestate, nec qui illa caret, sua culpa illa privatur, ut supra ostensum est.

14. *Septimo, principaliter allegatur Ægidius.* — Septimo, principaliter allego Ægidium, quem Camel nobis objicit in 2, distinct. 23, quæst. 2, art. 1, quia dicit, ut anima convertatur in Deum, conversione qua se ad gratiam disponat, necessarium esse ut, ordine saltem naturæ, præcedat divinus quidam impetus. Quis autem hoc negat? Oporteret ergo referre quomodo Ægidius illum impetum declaret, et an significet prædeterminare voluntatem, vel potius relinquere illam indifferentem. Nam quod ad primum attinet, postquam Ægidius allegavit illa loca Scripturæ: *Ecce sto ad ostium, et pulso; Audiam quid loquatur in me Dominus;* adjungit: *Hujusmodi autem pulsationes, vel locutiones, aut conversiones, possunt dici boni impetus quos continue vel quasi continue Deus facit in anima nostra.* Nihil ergo aliud per hos impetus Ægidius intellexit, nisi motus gratiæ excitantis, quos infra vocationes Dei appellat. Estque evidens argumentum, quia dicit illos continue, vel quasi continue, et iterum, *semper vel quasi fieri a Deo in anima nostra,* quod non potuit dicere nisi propter inspirationes divinas, quæ sunt motus vitales quos percipimus, et per quos nobis loquitur, vel nos terret aut afficit: nam prædeterminatio, etiamsi daretur, non ita frequenter fit, sed solum cum libere consentimus.

15. Et hinc evidenter convincimus, non loqui Ægidium de impetu prædeterminante, sed de inclinante, quia illi impetus, qui quasi continuo fiunt in nos, raro habent effectum consensus liberi. Unde adjungit ille auctor: *Cum ergo tales impetus sequimur,* dicimur aperire Deo; et infra: *Et ipse in nobis suam vocem audientibus, et suis impetibus seu motibus obtemperantibus largitur suam gratiam.* In quibus verbis aperte supponit non semper homines sequi illum impetum, nec aperire pulsanti, ac

proinde non esse prædeterminantem; imo quod hoc sit in nostra libertate, aperte sentit, dicens ulterius: *In nobis autem est permanere in virtute, et sequi Deum ad hanc vocantem, vel secedere, etc., et sequi diabolum ad malitiam vocantem.* Et infra dicit hos impetus gratiæ, etiam in statu legis naturæ, datos fuisse hominibus, quos aliqui sequentes disponebantur ad gratiam, et concludit idem fuisse servatum in Angelis. Profecto in toto hoc discursu evidenter docet hic auctor nostram sententiam, nec inter illos impetus gratiæ excitantis et conversionem agnoscit aliud medium auxilium, quod ordine naturæ antecedit cooperationem liberi arbitrii, et expresse etiam dicit, in aliis agentibus, vel ad operationem ordinis naturalis, non esse necessarium aliquem impetum, *sed solam operationem Dei, secundum quod Deus in omni operante operatur.* Addi etiam potest quod, in eodem 2, distinct. 7, quæst. 1, art. 2, § *Sunt alii impetus,* ad opera gratiæ solum postulat ex parte Dei motus gratiæ excitantis, quos vocat impetus, quos possumus sequi; quos sequendo adipiscimur gratiam, et non sequendo sumus in culpa. Et eodem modo de Angelis loquitur.

16. *Octavo, refertur Adrianus.* — Octavo, refero Adrianum, quem Ledesma contra nos allegat in 4, quæst. de Sacramento. pœnit., de quo Sacramento plures quæstiones tractat Adrianus; hanc vero materiam solum attingit in quæst. 1, post tractatum de Restitut., in art. 3, qui incipit: *Tertio restat,* in cujus initio dicit, *terram animæ nihil Deo dignum posse efficere, nisi sole gratiæ illustretur, et ad operandum excitata adjuvetur.* Et infra dicit animam non posse curari a morbo peccati via naturæ, *sed medicina celestis gratiæ morbum illum vincere, et animam sanare potest, anima quidem cooperante, sed minus principaliter.* Nihil certe est in his verbis quod ad prædeterminationem ullo modo pertineat. Pergit vero, dicens cum Augustino: *Magna gratiæ commendatio, quia nemo venit, nisi tractus;* et inde inducit admirationem, *cur hunc trahat et illum non trahat,* cum responsione Augustini, et verbis Christi: *Si in Tyro et Sidone,* et loco Augustini in quo tractionem explicat per excitationes congruentes. Unde nihil invenio in illo auctore, in quo a nostra sententia discrepet, nam potius illi favet, cum non agnoscat nisi gratiam excitantem, et cooperantem, et excitantem quoad efficaciam per congruitatem declaret more Augustiniano.

17. Nono, hic addi possunt omnes auctores

quos in prolegomen. 1 adduximus, dicentes ad liberam actionem necessarium esse ut, potentia proxima, positus omnibus prærequisitis ad agendum, possit agere et non agere. Item quos allegavimus in lib. 3, dicentes voluntatem præexistentem ordine naturæ plene constitutam in actu primo, et sic indeterminatam, seipsam determinare cum concursu proportionato et simultaneo primæ causæ offerentis illum de se indifferenter, et quasi dependenter a libera cooperatione voluntatis. Ex his enim principis evidenter refellitur necessitas, imo et possibilitas auxilii prædeterminantis ad actum liberum, etiamsi supernaturalis sit, quia et ratio libertatis eadem est, formaliter loquendo, in actu supernaturali, et propter supernaturalitatem non postulat actus majorem determinationem antecedentem in potentia libera, sed majores et supernaturales vires, in actu primo sine prædeterminatione dari possunt.

18. Quidam vero contra nos allegat Doctores Scholasticos, asserentes voluntatem beneplaciti Dei infallibiliter et semper impleri, et esse immutabilem, prædefinireque actus liberos, præsertim prædestinatorum, et ad hoc citat Bonaventuram, in 1, distinct. 40 et 47; Scotum, distinct. 39 et 46; Capreolum, distinct. 43 et 47; Herveum, distinct. 38 et 46; et Guillelmum de Rubion., 1, distinct. 38, 46 et 47; et posset allegare omnes de voluntate, scientia et prædestinatione Dei scribentes. Sed illa omnia generalia sunt, et de illis non est inter nos controversia. Nemo enim Catholicus negat voluntatem Dei absolutam et beneplaciti semper impleri, et esse immutabilem, nec etiam de prædefinitione actuum liberorum nunc disputamus, et nullus fere est qui absolute neget posse Deum illos prædefinire, sed tota controversia est de modo prædefinitionis, et concordiæ cum usu libertatis nostræ, et consequenter de modo quo Deus efficaciter, seu infallibiliter exequitur per hominem, id quod prædestinavit aut præfinivit eum velle.

19. At vero dicti auctores nunquam docuerunt hanc executionem fieri media prædeterminatione ad extra, quæ ita necessitet voluntatem, ut non possit illi resistere, postquam illi semel imprimitur simili vel majori necessitate ac independenter ab ejus libertate, nullusque invenietur ex antiquis Theologis qui talem prædeterminationem cum libertate arbitrii concordare fuerit conatus. Imo supponere videntur concordiam libertatis cum

tali prædeterminatione esse impossibilem, et ideo, illa prætermittitur, aliter concordiam explicant, vel media aliqua conditione inclusa in objecto divini decreti, ut Alensis, vel media aliqua præscientia, ut Bonaventura supra, et tractat bene Andreas de Castronov. in 1, distinct. 22, quæst. 5 et 6, et attingit Okam in 1, distinct. 83, quæst. 1, litter. 1; Gregorius, quæst. 2, art. 2; Gabriel, art. 1, in 2 parte illius; Waldens., lib. 1 Doctrinal. fid., cap. 28; Joan. Arboreus, tom. 1 Theosoph., lib. 4, cap. 11. Idemque constare potest ex dictis de libero arbitrio in prolegom. 1, et de concursu Dei cum voluntate creata, in lib. 3. Quocirca, in locis citatis dicunt quidem in generali divinam voluntatem absolutam semper impleri, et ad ejus omnipotentiam pertinere, ut possit quod vult facere, per voluntatem creatam libere operantem, modum autem in particulari, vel non declarant, vel semper ita illum exponunt, ut necessitas quæ in illo intervenit, non sit antecedens, sed consequens, ut sæpe tetigimus.

## CAPUT XLVII.

QUID MODERNI SCRIPTORES DE HAC CONTROVERSIA SENSERINT.

1. *Opinio modernorum scriptorum post Concilium Tridentinum.* — Eos scriptores sub hoc titulo comprehendo, qui post Concilium Tridentinum hoc punctum attigerunt, et ideo initium sumam a M. Soto, qui eodem tempore, et ad ipsum Concilium, opus de Natur et Grat. scripsit, et magnam merito apud omnes habet auctoritatem. Hunc ergo insignem Theologum pure et sincere pro nostra sententia allegavi in libro tertio de Auxiliis, cap. 13, in fine, quod male tulerunt contrariæ sententiæ Auctores, et quidam ipsorum tacite me accusat, quod non ex fide verba ejus, quædam interposita subticendo, allegaverim, ipseque longo discursu Sotum in suam sententiam trahere conatur. Sed, licet potuerim vel Sotum non attente legere, vel propter affectum ad propriam sententiam illum non intelligere, verisimile tamen assero fideliter eum retulisse, sicut illum intellexi, nihilque ad occultandum vel mutandum ejus sensum, sed solum brevitate causa aliqua verba, quæ necessaria non videbantur, omisisse. Nunc vero, cum iterum atque iterum varia ejus loca relegerim, constanter affirmo de auxilio gratiæ idem quod nos diximus do-